



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

VI. In ipso causæ Initio non est à quæstionibus inchoandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

quod dolose in oculo, arbitrio seu testibus remota, vel adhibita violentia metuve iniuste incensio, vel contra Juris prohibitionem introductum gestumve est, licet quoad culpa istave promerita pena reatum validam sit, & donec culpa expietur poenaeque extolatur vel remittatur, esse perseveret: quoad alios tamen Juris effectus, si non invalidum nullumque est ipso Jure, non subsistere, seu firmiter perseverare ac stabiliri, sed infirmari revocari ac rescindi debet: nisi vel ex natura sua, vel ex legis dispositione insolubile atque irrevocabile sit, Azor p. 1. Instit. lib. 5. cap. 16. q. 17. Laiman, Lib. 1. tract. 4. cap. 16. n. 4. & Streinius ad hanc Reg. n. 3.

2. Declaratur exemplis; sic enim Primò matrimonium aliter quam coram proprio parocho & duobus vel tribus testibus contractum, aut mortis vel alterius mali gravioris comminatione extortum non subsistit, ipsoque Jure irritum est; quòd clam aut vi contractum sit contra decretum irritans S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Res. matrim. c. Cum locum 14. c. Veniens 15. Sc. de Spons. & matrim. Secundo invalida est alienatio rei Ecclesiae immobilis vel pretiosa facta sine consensu Capituli, can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua nuper Sc. de His, que à Pralat. Sc. Tertio, sponsalia falsò commemorata nobilitatis intuitu vel gravissimi comminatione obtenta, licet Jure valida sint, nihilominus quòd obtenta dolò vel coacta sint, stabilitate carent valenque rescindi arg. c. Abbas 2. de His, que vi metuve causa Sc. eòdemque modo validi quidem, sed rescissioni obnoxii sunt contractus initi à clerico, lucrum quarente ex illicita negotiatione; quòd celebrati sint contra Juris prohibitionem, c. Secundum 6. Ne Clerici vel Monach. Sc.

Plura de actibus dolò obtentis Lib.

2. tit. 14. an. 1. de extortis vi metuve Lib. 1. tit. 40. 1010, de gestis contra Jus infra ad Reg. 64. in 6.

## REGULA, VI.

In ipso causa Initio non est à Questionibus inchoandum.

## SUMMARIUM.

1. Varia lectio textus,
2. Et acceptio Questionis.
3. Sensus & ratio Regule.
4. Torturam reorum generaliter damnat Vives:
5. Sed contra DD. torrentem & veritatem,
6. Et reum de crimine plenè convictum subjicientium,
7. Et hoc non permissentium vera Opinio.
8. Ad eam exigitur, ut delictum grave,
9. Et persona à tortura non exempta sit:
10. Ut constet de corpore delicti,
11. Istiusque indicis gravatus sit, qui torquetur,
12. Et plenè convinci aliter non possit,
13. Ut servetur Ordo in penis & reus,
14. Et hi serventur & illa inutiles non reddantur.
15. Poena judicis aliquem indebitè torquentis.

**P**Ro Questionibus hoc loco Quæstibus, id est, querelis seu lamentis, legendum existimat Gonzalez n. 2. Apostolicum rescriptum, ex quo Regula hæc deprompta est, vindicans Gregorio M. seu I. non VII. ut ceteri plerique. Sed, ut nova hæc lectio erudita minimèque damnanda sit, dimittenda tamen non



men non est verus & communis, ut textum Decretalibus inferentis Gregorii IX. verbis & mente retentâ, perutilem in Praxi Regulam non amittamus.

2. Quæstionis autem nomine aliquando veniunt ipsa Judicia publica; quod in iis, an reus nocens, vel innocens, quærat, *l. Facturus 2. ff. de Orig. Juris* cujus §. 23. quæstores, qui capitalibus rebus præsent, à Populo constituti perhibentur. Frequentiori usu quæstio denotat Torturam, quæ ad eruendam veritatem in causis criminalibus adhibetur, *l. Inde Notarius 23. §. 4. ff. ad L. Aquil. §. 1. Item apud 15. §. 41. ff. de Injuris*: & per definitionem dicitur esse Interrogatio de crimine commisso per corporis tormenta, ad eruendam ipsius criminis veritatem, legitimè à Judice instituta, Panormit. *ad hanc Reg. n. 2.* & Haunold. *Tom. 6. de J. & J. tract. 3. n. 355.*

3. Posteriorem hanc nominis significationem laudatus Papa secutus est ex communi sententia Interpp. ac DD. hanc Ecclesiastici Juris Regulam referentibus ad Imp. Augusti Constitutionem ab Ulpiano relatam *l. 1. pr. ff. & Rescripta Diocletiani & Maxim. l. Milites 8. §. 1. C. de Q. quibus accommodatus propositæ Regulæ sensus est, Judicium Criminale à rei tortura non est inchoandum.* Ratio est; quod, si hujusmodi iudicium ac processus inchoaretur à quæstionibus seu tortura, huic sæpe subicerentur innocentes, super quorum corio nequaquam ludendum, neque inurenda eis est macula indelebilis & nota civilis, quæ oritur ex tortura: & si doloris impatientiâ crimen, quod non commiserit, faterentur, vita ipsa adduceretur in discrimen.

4. Ratio hæc apud Lud. de Vives in *Lib. 19. cap. 6. S. Augustini de Civitate Dei* tantum potuit; ut torturæ etiam in causâ progressu locum contra DD. tor-

rentem inficiari non dubitaret. Quod insuper suadet partim; quod ad veritatem eruendam insufficientis ac fallax medium esse videatur; cum plerique patientiâ sive duritiâ ita tormenta contemnant; ut exprimi his veritas nullò modo possit. Aliâ tantâ sint impatientiâ, ut quodvis mentiri quàm tormenta pati velint, ut *l. 1. cit. §. 23.* Ulpianus scribit: partim verò; quia non rarò ex tortura grave damnum redundat in alios innocentes, quos à se perpetrati criminis socios, vel aliò modo reos torti mentiuntur, cum; ut præsentis corporis afflictione liberentur: tum verò; ut poenarum habeant socios aut supplicium mitigetur.

5. Sed rationibus his singularem Opinionem suam Vives non persuadet; cum tortura, si modus præscriptus observetur, non honesta duntaxat, sed omnino necessaria: & absque ea communi bono non satis consultum sit; quia, si eâ veritatem exprimi posse, nescirent facinorosi homines multò audaciores & in scelera projectiores forent; cum hæc perpetrata plene probari sæpe aliter non possint, quàm delinquentis propriâ confessione; quæ sublatò torturæ mediò vix unquam obtineretur à nocentibus, amore vitæ & ex confessione imminentium suppliciorum timore in criminum negatione persistituris.

Neque contra torturam facit periculum; ne innocentes torqueantur aut denuntientur à nocentibus & similia incommoda, cum; quia hæc merè per accidens: & si torturæ modus observetur, rarissimè eveniunt: Jus autem non aptatur casibus, qui perrarò, sed iis, qui frequenter & facile evenire solent, *l. Ex his 4. §. 1. Nam ad ea 5. ff. de LL.* tum verò; quia explorati & Naturalis Juris dictamen est, ex duobus malis, cum excludi utrumque non potest, eligendum id, quod minus est, *can. 1. dist. 13. & can. Si aliquid, 22. q. 4. S.*

Thomas



Thomas 1. 2. q. 19. art. 6. minus autem malum est, quod aliquando torquentur, & ex suamet confessione damnentur ac puniantur innocentes, quam audacia delinquendi & frequentia delictorum, quæ sublatò torturæ usu passim invalescerent & humanarum societatum perturbarent tranquillitatem, & everterent felicitatem.

Accedit, quòd, sicut à reis quæstionibus subjectis aliquando denuntiari innocentes, sic à testibus quandoque deponi falsum, & hujusmodi testimoniis convictos innocentes damnari ac puniri contingat exemplò Naboth, ab Achab ex falsis testimoniis lapidati 3. Reg. cap. 21. v. 13. nemo tamen DD. sit, qui probationem per testes à judiciis Criminalibus removendam somniari.

6. Vivis, jam confutato oppositus & non minor error ac praxis est aliorum, ultimò supplicio affici posse negantium eum, qui crimen non est confessus; ideòque, etiam, cum mille testibus convictus est, ejus confessionem per torturam exprimendam, asserentium. Cui errori suo patrocinium desumunt ex Constitutione Pœnali Caroli V. cujus art. 16. Imperator in notoriis & evidentibus delictis, reum, si ea negare velit, vi tormentorum ad confessionem adigendum, asserit. Verùm, quia reum in criminis inficiatione persistentem, si legitimis probationibus convictus sit, absque ulla tortura condemnandum ejusdem Constitutionis art. 7. 69. in terminis statuitur; ne Imperator Antinomiam arguatur, art. 16. cit. exaudiendus est de casu, quò delictum non plene, sed ejus solummodo materiale, non etiam formale sive, quò notorium quidem est rei factum externum; dubium autem est, an id dolosè & malitiosè positum sit; reò enim hoc negante, veritatem tormentis exprimendam facillè conceditur; quòd

delictum verè notorium non sit, Haunold. cit. tract. 3. n. 362.

Quare cum isto recedendum non est à sententia Clari §. fin. q. 64. n. 5. Covarruvia Practic. cap. 23. n. 5. Damhuderii Prax. rer. Criminal. cap. 35. à n. 1. & aliorum, reum plenè convictum, insuper habità ejus inficiatione, condemnari posse, meritò statuentium; quòd aliquin in cujusvis potestate foret, à mortis pœna se eximere persistendo in tormentis, magnò detrimentò Reipublicæ, cujus interest, maleficia non manere impunita, c. Ut sama 35. de Sen. excom. § 1. Ita vulneratus 51. §. 2. v. Quod si quis, ff. ad L. Aquil.

Ne autem ad eruendam veritatem & justitiæ rectam administrationem publicè utilissimum & sæpe omnino necessarium torturæ remedium in abusum transeat & crudelitatem, ad illud à rerum Criminalium peritis & DD. requiritur Primò; ut causa non sit merè Civilis, sed annexum habeat crimen, sicut sæpe habent mercatorum, ut vocant, Fallitorum & Bancarottorum: & crimen sit atrox & capitale, l. Edictum 8. ff. de Q. Q. cui imponenda veniat mortis vel alia pœna corporis afflictiva, quæ in communi hominum æstimatione gravior sit relegatione vel incarceratione solum temporanea, multùmque excedat ipsam torturam. Ratio est; quia non graviore pœnâ procedendum est contra reum non convictum, quàm infligenda esset ejus convicti condemnatione; quid enim prodesset reo per tormentorum patientiam se purgasse, si tantumdem passus est in tormentis, quantum subiturus fuisset, si legitime convictus, aut crimen spontè confessus fuisset.

Secundò; ut rei persona à tortura non sit exempta: sicut juris privilegio exempti sunt impuberes, l. De minore 10. pr. ff. de Q. Q. furiosi & amentes tempore furoris



furoris & amentiae actualis: senes viribus ita imbecilles; ut tormenta sine periculo sustinere, aut memoria ita debili; ut rei a se vel alio gesta verisimiliter non meminerint. *l. Si quis 3. §. 7. ff. ad S. C. Syllan. valetudinarii, quibus tortura mortem aut irreparabile damnum in valetudine allatura timetur arg. §. cit. femina praegnans, l. Praegnans 3. ff. de Pœnia, personae illustres & praestantes nobilitate vel militia clari, l. Edictum cit. l. Milites 8. pr. & l. Duo 11. C. de Q. Q.*

**10.** Tertiò; ut constat de corpore delicti, v.g. verè occisum hominem, cujus necis inhumulatur, qui torturae est subjiciendus, *l. 1. §. 24. ff. ad S. C. cit. & Constitutio poenalis Carolin. Art. 6. cum de eo constare necesse sit, antequam procedatur ad inquisitionem quoad personam specialem, Farinac. Prax. Criminal. q. 2. n. 6.*

**11.** Quartò; ut praecedant quaedam criminis indicia & argumenta, quibus reus prudenter suspectus judici reddatur, *l. Unius 18. §. 2. & l. fin. ff. de Q. Q.* Ratio est; quia, si nullis indicibus gravatus torqueri posset, Criminale judicium à quaestionibus inchoare liceret, contra Reg. propositam & Constitutiones Imperiales Augusti & Hadriani. *l. 1. pr. & §. 1. ff. de Q. Q.*

**12.** Quintò; ut delictum aliter nequeat plenè probari; quia tortura, tanquam veritatis investigandae medium, introducta est in subsidium aliarum probationum deficientium, *l. Divus Pius 9. pr. ff. de Q. Q.*

**13.** Sextò; ut in tortura procedatur gradatim, & iudex reum ad veritatis confessionem inducere primò conetur verbis adhortatoriis: dein torturae comminatione eum interroget: & si ista quoque non proficiat, tum demum ad torturam actualem procedat; quia ratio Naturalis dicit, mitiora remedia priùs tentanda, quam ad severiora deveniatur.

Septimò; ut, cum ejusdem delicti plu-

res sunt complices, is primò torqueatur, qui indicibus ac praesumptionibus praeter ceteris est gravatus ac suspectus, constituit Carol. Art. 46. & si aequè gravati ac suspecti omnes sunt, is à quo criminis confessio & veritas faciliùs obtinenda iudicatur, *l. 1. cit. §. 12.*

Octavò; ut reus servetur illaesus & non inutilis reddatur: ex qua causa reos aliquando ultra tempus, quò Pater & Ave vel Psalmus Miserere recitari potest; & in quocunque etiam enormissimo crimine ultra horam torqueri, & horae plus quàm ejus quadrantem addi non facillè posse & consuevisse testis est cit. Farin. q. 38. n. 54. quocum haecenus deducta aliàque torturam spectantia plenà manu dabant Clarus cit. q. 64. Gomez Tom. 3. Var. cap. 13. 1016. Haunold. Tract. 3. cit. à n. 355. & ante hunc Carpozovius Practic. Crimin. p. 3. à q. 117.

Porro iudicem, ad rei torturam contra Jus procedentem, gravissimè delinquere, & indebitè torto ad injurià & omnis damni resarcitionem teneri, res est omnino explorata. Quodsi aliquem dolosè & sine sufficientibus indicibus, itaque torqueat, ut moriatur, homicidii perpetrati reus habetur *l. 1. §. 1. & l. Lege 4. pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Clarus q. 64. cit. pr.*

Si citra mortem & læsionem reum Jure exemptum, vel non exemptum sine praevius indicibus, vel cum excessu, vel non servatò ordine torserit, à torto conveniri potest actione injuriarum, *l. Nec magistratus 32. ff. de Injuriis*: quam non annuam, sed perpetuam esse, cum Manzio tradit Haunold. Tract. cit. n. 464. quòd, cum actionem perpetuam habeat verberatus & pulsatus, multò magis ea competere debeat injustè torto. Eidem actionem legis Aquiliae utilem competere, DD. desumunt ex *l. Liber 13. pr. ff. ad L. Aquil.*

Z z z

ad recu-



ad recuperandos sumptus & lucrum cessans ob torturam. Ultra satisfactionem, indebitè torto præstandam, iudicem à superiore pro excelsis qualitate puniendum, patet ex *cit.*, Constitut. Carol. *Art. 61.*

## REGVLA VII.

*Quidquid in Sacratibus DEO rebus & Episcopis injustè agitur, Sacrilegium reputatur; quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent.*

## SUMMARIUM.

1. Regula sensus & definitio Sacrilegij.
2. Quod committitur personæ DEO dicata.
3. Loci Sacri aut Religiosi.
4. Et rei Ecclesiastica cuiusvis violatione.

1. **R**egula hæc explicatius traditur *can. Nulli, 12. q. 2.* eoque & sequentibus textibus enumerantur varia exempla Sacrilegij: cuius generatim sumpti à S. Thoma *2. 2. q. 99. art. 1. & 9.* tradita & à cæteris DD. recepta definitio & præsentis Regulae sensus est, *Sacrilegium est rei DEO sacra violatio seu lesio.* in qua

2. Rei Deo sacra nomine veniunt Primo personæ per sacram Ordinationem, ut clerici; vel, ut sexus utriusq; Religiosi, per Religionis solennia aut simplicia Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ vota, in Religione à sede Apostolica approbata edita, Divino cultui mancipatæ, aut, ut Novitii, mancipatæ: in quas Sacrilegium committitur violentâ & injuriosâ manûs iniectione, *can. Si quis suadente, 17. q. 4. tit. 39. à n. 72.* explicato: pertractione ad forû Seculare & Secularis jurisdictionis in

earum usurpatione, *can. Si quis 45. can. Si quis clerico 46. Sc. 11. q. 1. c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Sc.* de qua *Lib. 2. tit. 2. art. 10.* vectigalium & tributorum impositione, exactioneque, *c. Non minus 4. c. Adversus 7. de Immunit. c. 1. c. Clericis 3. ibidem in 6. Sc. de qua Lib. 3. tit. 49. à n. 186.* est actum: fornicatione, aliave turpitudine in corpore exercitâ, *can. Virginibus, 27. q. 1. S. Thomas cit. art. 3. ad 3. & Palao Tract. 17. disp. 2. p. 3. §. 1. n. 2.* Vide dicta supra *Tit. 16. à num. 66.*

3. Secundò loca Sacra: ut sunt Ecclesiæ, Sacella, Oratoria &c. ad peragendum SS, Missæ sacrificium, Sacramenta ministranda & obeunda officia Divina per consecrationem, benedictionem aut his præviam deputationem Ecclesiasticam ordinata, *c. Cum Ecclesia 5. c. Ecclesia 9. de Immunit. Eccles. Sc.* Quibus accedunt Monasteria, aliæque domus Regulares, Hospitalia & cætera loca Religiosa, hoc est, ad Religionis, Pietatis & Misericordiæ opera exercenda Episcopali aliave auctoritate Ecclesiasticâ erecta & deputata, *c. Ad hoc 4. de Relig. domib. Sc.* in quæ Sacrilegium committitur reorum ad ea confugientium extractione aliave eorum Immunitatis violatione, *can. Frater 9. can. Si quis 20. junctò §. Sacrilegium, can. Quisquis, 21. Sc. q. 4. cit.* per tradita *Lib. 3. tit. 49. à n. 174.* Ecclesiæ pollutione, *Lib. 3. tit. 40. à n. 31.* explicatâ, exercitiò jurisdictionis secularis contentiosæ, nundinarum & mercatus in iis celebratione, prophanarum comœdiarum in iis exhibitione &c. ut dictum *cit. Tit. 49. à n. 2.* Violentâ effractione, incendiò, despoliatione &c. de quibus actum supra *Tit. 17. à num. 40.*

4. Tertiò, res Deo sacratæ: quarum tria genera sunt. Primum constituunt Sacramenta, quorum indignâ tractatione Sacrile-